ORIGENES

Salzburg (Umgebung), 1. Hälfte 9. Jh. Seite 40v

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26146
Copyright: Admont, Benediktinerstift

montem. id est legiorem et humilitatem excusat dicens; Non possum
in monte saluus fieri. sed ecce haec ciuitas pusilla est.
hic saluabor. et non est pusilla. Ingressus uero segor
ciuitatem pusillam in ea saluatur. et post haec cum filiabus
ascendit in montem; Neque enim de sodomis ascendere po
terat in montem. Quae uero scriptum sit de terra sodomorum
priusquam subuerteretur. eo tempore quo loth ha
bitationem eius elegit fuisse sicut paradisus dei.
et sic terra aegypti; etiam ut paruo quodam utamur
excessu. quae non uidetur esse uicinitas paradisi dei
et terrae aegypti. ut ex aequo his sodoma compararetur.
sed ego ita puto. quod antequam peccaret sodoma. cum ad
huc simplicitatem uitae incontaminabilis custodiret.
erat sicut paradisus dei. Ubi uero decolorari coepit.
et peccatorum maculis obscurari. sicut terra aegyp
ti facta est; sed et illud requirimus. quoniam quidem
propheta dicit. Quia restituetur soror tua sodoma
in antiquum. utrum tam restitutio eius etiam hoc recipiat
ut sit sicut paradisus dei. an solum sicut terra egyp
ti; Ego quidem dubito. si in tantum potuerint sodomorum
peccata decoqui. et eousque scelera purgari. ut
restitutio eorum tanta sit. quae non solum terrae egyp
ti. uerum etiam dei comparetur paradiso; urgue
bunt tamen nos qui hoc confirmare uolunt. ex eo